

testium subscriptorum licteratorum de eadem terra *etc.* fatemur universis. quod cum olim, super Ecclesiis Sancti Thome, Sancti Fortunati, et omnium Sanctorum de pactiano, Sitis in dyocesi et territorio vigiliarum, quas Religiosi viri Abbas et Conventus Monasterii Montis Sacri, Sypontine dyocesi, per se et alios dicti Monasterii nomine, tenebant et possidebant cum bonis et possessionibus earumdem; et ob hoc a iure Episcopali dicentur exempte vellemus ut iure communi per quod, omnes Basilice, in illius Episcopi potestatem consistunt in cuius territorio sunt fundate. maxime cum ignotum esset nobis, quo iure vel titulo ydem Abbas et Monachi easdem Ecclesias in nostra dyocesi possiderent. innitentes Bonifaciane nove constitutioni que incipit, cum persone, tradenti modum, formam et ordinem, secundum quos est per locorum ordinarios in talibus procedendum, requiri fecimus sollempniter ut decebat, per nuncios et licteras speciales, et maxime per fratrem Iohannem de Monte Assiso, Monachum dicti Monasterii, qui pro parte eiusdem Monasterii, predictas Ecclesias cum earum bonis dicebatur tenere, quondam fratrem Iohannem, tunc Monasterii ipsius Abbatem et conventus eiusdem. certum sibi prefigentes terminum competentem infra quem venire deberent privilegia vel indulgentias Apostolice Sedis quibus se possent probare exemptos nobis ostensuri. ac exhibituri integraliter ad legendum, coram aliquibus viris prudentibus in loco congruo et securo. vel allegaturi et probaturi si possent ius aliud, per quod dicte Ecclesie a nostra iurisdictione merito iudicarentur exempte, iuxta tenorem constitutionis predicte. Verum quia ydem Abbas et conventus infra ipsum terminum nec in ipso per se vel alium seu alios legitime ad nos venire minime procurarunt; nos ex tunc in concione nostra de iure comuni fundata, easdem ecclesias cum suis licteris cepimus; et in eis sicut in ecclesiis aliis nobis subiectis, iurisdictione nostra libere usi sumus. postmodum vero dicti Abbas et conventus asserentes se a processu nostro huiusmodi ad Sedem apostolicam appellasse causam ipsam ad Religiosum Virum Abbatem Sancti Samuelis de Barolo, Tranensis dyocesis per eandem Sedem Apostolicam contra nos optinuere committi. qui quidem venerabili in Christo patri, domino Aymardo Salpensi Episcopo, causam ipsam adhuc integram subdelegavit in totum. Cumque idem Salpensis Episcopus in causa ipsa auctoritate subdelegationis ipsius vellet procedere, nosque per eum Citare apud Barolum comparebimus personaliter coram eo, citra litis exordium, exceptionem excommunicationis maioris proposuimus contra eum. ipsam nos offerentes in statuto termino coram arbitris super hoc canonice eligendis legitime per bannos. quam exceptionem cum dictus Episcopus admictere recusaret, et nos p. ad Sedem Apostolicam duxerimus. appellandum, ipse contra nos post appellationem eandem de facto procedens, quos nequiter et iniuste reputaverit contumaces decrevit dictos Abbatem et Monachos fore in possessionem dictarum Ecclesiarum custodie causa mictendos. Nobis autem predictam appellationem per nos impositam sollicitè prosequentibus, causam eandem ad Venerabilem in Christo patrem dominum Andriensem Episcopum et eius Collegam ab Apostolica Sede optinuimus delegari. qui nobis, et adversa parte presentibus in iudicio coram eis, procurator dictorum Abbatis et Monachorum in ipsius processu iudicii proponens se et dictum Monasterium per eundem Episcopum et suos coniudices aggravari, iterato ad sedem appellavit eandem. predicti vero Iudices appellationem ipsam frivolam reputantes, processerunt in causam. et constituto eis de cause meritis, pronunciaverunt processum dicti Salpensis Episcopi, ex pluribus iustis causis iniustum et nullum.